

,, peccato remansit, ut nullum profus ad ju-  
 ,, stitiam gradum facere possit, ad nullum  
 ,, opus bonum manum extendere, non ape-  
 ,, rire os ad invocandum JESU nomen, nul-  
 ,, lam Deo gratam orationem fundere, nisi  
 ,, Deus ipse porrexisset manum, eumque suâ  
 ,, gratiâ excitasset ,, . Nihil hic nisi Catho-  
 ,, licum, & communi Patrûm, Scholasticorum-  
 ,, que suffragio confirmatum. At ubi dicitur  
 ,, quamcunque animam lethalis delicti vulnere  
 ,, fauciam, adeo sinè medicamine à Salvator-  
 ,, derelinqui, ut nihil ei remaneat nisi pecca-  
 ,, tum. . . & generalis impotentia ad laborem,  
 ,, ad orationem, & ad omne opus bonum? Con-  
 ,, tra nihil magis adversari Scripturis SS., Tra-  
 ,, ditioni Patrûm, & communissimo Doctorum,  
 ,, atque Ecclesiæ sensui, novit, quisquis in do-  
 ,,ctrina Ecclesiastica non omnino rudis est, &  
 ,, novitatis amore non penitus obcæcatus.  
 ,, Quis enim nesciat, Civitatis Ninive malitiam  
 ,, ascendisse ad Deum, Jonæ cap. 1. & tamen  
 ,, cap. 3. ,, Cum cœpit Jonas introire in Civi-  
 ,, tatem itinere diei unius, & clamavit, & di-  
 ,, xit, adhuc quadraginta dies, & Ninive sub-  
 ,, vertetur: crediderunt viri Ninivite in-  
 ,, Deum, & prædicaverunt jejunium, & ve-  
 ,, stiti sunt faccis à majore usque ad mino-  
 ,, rem: & pervenit Verbum ad Regem Nini-  
 ,, ve, & surrexit de solio suo, & abjecit ve-  
 ,, stimentum suum à se, & indutus est sacco,  
 ,, & sedit in cinere: & clamavit, & dixit, in  
 ,, Ninive ex ore Regis, & Principum ejus di-  
 ,, cens, homines, & jumenta, & boves, & pe-  
 ,, cora non gustent quidquam: nec pascantur,  
 ,, & aquam non bibant: & operiantur faccis  
 ,, homines, & jumenta, & clament ad Do-  
 ,, minum in fortitudine, & convertatur vir  
 ,, à via sua mala, & ab iniquitate, quæ est in  
 ,, manibus eorum. ,,

Clamasse eos ad Dominum in fortitudi-  
 ne, & egisse pœnitentiam congruam colligi-  
 tur ex eo, quod ibi subjungitur, *Vidit Deus  
 opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala:  
 & misertus est Deus super malitiam, quam lo-  
 cutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit, ubi  
 certissimo constat Divini Spiritûs testimonio,  
 homines, qui Deum, atque ipsius gratiam pec-  
 cando amiserant, non remansisse penitus in su-  
 perbia paupertate, & segni indigentia, hoc est ge-  
 nerali impotentia ad laborem, ad orationem, &  
 ad omne opus bonum.*

Joëlis cap. 1. sic hortatur Deus peccato-  
 res: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in  
 jejunio, in sletu, & in planctu, & scindite corda  
 vestra, & non vestimenta vestra. Convertimini  
 ad Dominum Deum Vestrum, quia benignus, &  
 misericors est, patiens, & multa misericordiæ,  
 & præstabilis super malitia. Effet profus indi-*

gna Deo hortatio, si in omnibus peccatoribus  
 nihil remansisset præter enumerata à Ques-  
 nello, præcipuè *generalem impotentiam ad la-  
 borem, ad orationem, & ad omne opus bonum.*

Similis est hortatio ad pœnitentiam, &  
 promissio Divinæ clementiæ Ezechielis 18.  
 Daniel cap. 4. Regem peccatorem, & idolo-  
 latram excitat ad faciendam eleemosynam:  
*Rex consilium meum placeat tibi, peccata tua,  
 eleemosynis redime.*

Itai. cap. 1. Deus peccatores sic alloqui-  
 tur. *Quiescite agere perverè, discite bene fa-  
 cere, querite judicium, subvenite oppresso, judi-  
 cate pupillo, defendite viduam, & venite, & ar-  
 guite me, dicit Dominus, si fuerint peccata vestra  
 ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fue-  
 rint rubra ut vermiculus, velut lana alba erunt,*

Lib. 3. Regum cap. 2 r. de sceleratissimo Re-  
 ge Achab dicitur: *Non fuit alter talis sicut  
 Achab, qui venundatus est, ut faceret malum in  
 conspectu Domini. . . . Abominabilis factus est  
 in tantum, ut sequeretur idola. Attamen cum  
 audisset Achab sermones Eliæ, statim subjun-  
 gitur: Scidit vestimenta sua, & operuit cilio  
 carnem suam, jejunavitque, & dormivit in sac-  
 co, & ambulavit demisso capite: & factus est  
 sermo Domini ad Eliam Thesbiten dicens: nonne  
 vidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur  
 humiliatus est mei causâ, non inducam ma-  
 lum in diebus ejus; sed in diebus filii sui inferam  
 malum domui ejus. Si Achab, qui malitiâ cæ-  
 teros supergressus enuntiatur, non fuit tamen  
 impotens ad omne bonum, cur tanta calamitas  
 cunctis tribuatur peccatoribus?*

Exodi cap. 1. Obstetrices Ægyptiæ, et si  
 idololatræ, timuerunt Dominum, & studiosè  
 servaverunt infantes masculos Israëlitarum.  
*Bene ergo fecit Deus obstetricibus. . . . & quia  
 timuerunt obstetrices Deum, adificavit eis do-  
 mos. Unde evidens fit, mulieres istas, et si gra-  
 vibus inquinatas peccatis, tamen bonum hic  
 opus exercuisse; malum enim Deus Sanctus,  
 & Justus præmio remunerari non potest.*

Josue cap. 2. Rahab meretrix, percussa  
 timore Domini, exploratoris à Josue missos  
 servavit ab interitu, dimittens eos per fene-  
 stram, & salubri consilio adjuvans.

Act. cap. 8. Monet Petrus Simonem Ma-  
 gum, *Roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc  
 cogitatio cordis tui. Potuit igitur Simon ora-  
 re Deum quantumvis impius.*

Christus Luca 11. dicit: *Nunc vos Phari-  
 sei, quod deforis est calicis, & catini, mundatis;  
 quod autem intus est vestrum, plenum est rapinâ,  
 & iniquitate. Stulti, nonne qui fecit quod defo-  
 ris est, etiam id, quod intus est, fecit? Verumt a-  
 men quod superest, date eleemosynam, & ecce  
 omnia munda sunt vobis. Si Pharisei pleni ra-  
 pi-*